

¶ Secũda pars operis dñicæ passionis & resurrectionis diẽ idagat, & iudæorũ sup hoc argumẽta confutat.

Tsi multa sunt argumenta, quibus iudæi magnãm nobis calumniã solent astruere, & fidem speratæ a nobis resurrectionis stulta garrulitate deridere, in hac tamẽ lucubratiuncula nostra ea duntaxat confutare aggrediemur, quæ dominicæ passionis & resurrectionis materiam concernunt. Solet namq; obstinatum illud, & seruile iudæorum pecus in Christi saluatoris blasphemiam exire propensius & in christianorum calumniam insultare audentius & confidentius, quia legis nostræ munimenta non pauca ex auita ipsorum religione mutuati sumus ea præcipue, quæ agni paschalis typo, domini passionem significabant: quo fit ut perperam interpretantes legem, & diuini sacramenti mysterium contaminantes, multas iñdies calumnias nobis inferre nõ desistant, nunquam cauillandi finem facientes: adeo q̃ cõtinuis subsãnationibus nos lacessentes, & singulas obseruationes nostras detestãtes perpetuis ipsoꝝ cõtumeliis, atq; conuitiis simus obnoxii: non solum in paschæ celebratione obseruationẽ nostram ludibrio maximoq; opprobrio ducentes (de quo superiori lucubratiuncula nostra scripsimus) ueruẽ etiam i dñicæ passionis mysterio ruditatis, & iscitiæ nos isimulãtes

A. ii

53. AUS PAULINUS DE MIDDELBURG.
FOSSOMBRONE, OTTAVIANO DEI' PETRUCCI, 1513.